

AR 54. (20) Joh. Augustin. Egenolf.

Z 6
170

X 2047314

PIETAS.

SUUM. IN. RECTOREM. PRONA.

CUJUS. BEATE. MORTUI.

MEMORIAM.

IPSI. QVONDAM. NATALI. DIE.

EX. MERITO. CELEBRANDAM.

CRUCIANA. SCHOLA.

CONSTITUIT.

BONOS. QVOSQVE.

ARBITROS.

EXOPTAT. ROGAT.


AUTHORE.

M. JOH. VALENT. MERBITZIO.

CONRECTORE.

DRESDÆ,

LITERIS JOHANNIS RIEDELI.





Idolol. libr. 3.
cap. 21.

Um proximè egomet mecum so-
lus de Schola nostrâ, quæ de omnium nunc qui-
dem sermo est, cogito, quæ tandem in eam
Numen decreverit, quæ fata maneant, supre-
mum B. Rectori nostro, quo publicè eundem
maçtem, honorem habiturus, incido forte in
locum aliquem Vossii, quo certè non levi-
ter sum recreatus, & suavissimâ quâdam jucunditate haud
obiter perfusus. De vita enim & morte agens, utraqve in-
quit, magnum est DEI beneficium, sed illis qui se ad normam
composuerint, divinitus præscriptam. Quanto enim plus vivi-
mus, tantò majus est spatium benè merendi de genere humano:
non alio autem propius accedimus ad Numen cœleste, quam
benefaciendo. Jam ad mortem quod attinet, quid ægris mor-
talibus beatus, quam liberari tandem seculi vitiis pariter & mise-
riis, ac vitâ & felicitate potiri æternâ, DEI cultoribus promissâ.
Hem! inquam, Præceptorem tibi graphicè depictum, curricu-
lum vitæ ipsius omne ordine expressum, qui divino nutu, le-
gitimè vocatus suum ipse negotium suscepit. Benè merendo
de Republ. quin genere humano, hoc præmii consequitur, atque
refert, ut ægros inter mortales, ipse forte ægerrimus cito pede
mundum relinquere gestiat, & ex approperantis per momenta,
mortis conceptâ spe, unicam, quæ concessa, capiat volupta-
tem, DEI cultor, superbi seculi contemptus omnibus his miseris
liberandus, & qui in his terris ad cœlestè Numen accesserit, æter-
nâ gloriâ exornandus.

Divin. l. 2. e-
dit. Gruter.
p. 195. b. 55.

Quid quæsò aliud Præceptor agit, quam quod in commo-
dum generis humani vergat? fundamenta jacet, cui civitatis salus
omnis est superstructa. Plena sunt testimoniis authorum scripta,
quotquot unquam materiam hanc attigere: nec verò in verbo-
rum copia nunc laborandum, suâ cujusque vitâ testimonium
ferente. Quod munus Reipubl. afferre majus meliusve possu-
mus, quàm si docemus, atque erudimus juventutem? suâ jam
ætate, paucis plurima exponens, Cicero adscripsit: Tolle juven-
tutis cum Præceptoribus institutionem, quàm minimi pretii ipsam
æstimes, omnem brevi societatem, ipsum quasi è natura rerum so-
lem sustuleris, homines in bruta permutari passus.

Neq; verò alium benefaciendo propius ad cœlestè Numen ac-
cedere statues, quam ipsos juventutis informatores, si æquo animo
illa Marci Aurelii Imperatoris, quæ huc adscribere non gravabor,
mecum percurreris. Legerat ille quatuordecim præceptores,
viros doctrinâ & in erudiendis magnatum filiis peritiâ omnium
præstantissimos, è quibus novem, repudiatis quinque, quod pa-
rum graves essent, filium Commodum, cujus in educatione ta-
men

men, plus quàm novem millibus vitiorum laborantis, ac contami-
nati, infelicissimi fuerunt, traditurus, sic allocutus fertur. Quo-
tidie ejus diei, quo vobis ipsum in disciplinam tradidi, meminisse
debet: Imo illius me diei, quo docendum ipsum dedi, quàm quo
nascentem vidi, recordari justius est. Nam & dii mihi, & ego
vobis illum dedi mortalem, tanquam hominem: vos verò mihi,
& ego diis ipsum reddam immortalem, tanquam sapientem.
Quid amplius dicam, nisi ut si magni penditis, quod dixi, pluris
æstimetis, quod dicturus sum? Quandoquidem diis placuit, ut
filium susciperem, & in fatis fuit, ut talis mihi esset filius, qui à diis
quidem animam, quâ homo inter homines; à me verò carnem,
quâ brutum inter bruta esset, accepit: Vos, si volueritis, ut Deus
sit inter Deos, famam illi perennem conciliando facietis, &c. Fi-
lius meus Commodus cum à diis mihi datus est, quid præter car-
nem à me fragilem & mortalem, ob cujus corruptionem finem
habebit ipsius vita, accepit? à vobis autem tam excellenti instrue-
tur doctrinâ, ut memoriæ immortalitatem inde mereatur. Non
enim iis, quæ corpus fragile molitur, sed iis, quæ intelligentia
perspicax instituit, animusq; generosus perficit, fama compara-
tur. Quæ ipsa cum sequentibus, optimo Imperatori addita, pa-
rentes sedulâ mente agitent, qui laudabilem suorum institu-
tionem moliuntur. Quid vero, missis sapientiâ & gloriâ, quâ
orbis delectatur, de vera DEI agnitione, operumque divino-
rum meditatione, quæ nostris utiq; Præceptoribus debemus, pri-
mo loco nominandis, nos dicemus? Nonne proximos à DEO
feceris, qui vel teneris ab annis ad DEUM omni curâ & studio te
adducunt?

At! numquid contemptius hodiè Præceptore est, ordine tan-
tùm non sedentiariorum minore, constituto, ut planè in proverbium
abierit, quo per ludibrium abjectum & insulsum alto supercilio elati
norent. Quo in loco ipsæ res sint scholasticæ, neminem prorsus
fugit, multis, ne odium pariat veritas, tacendæ: adeò sua solum mun-
dus cordi habet, odio illos quoq; prosequens, qui ulcus tangant: tan-
tùm ab instituto & curriculo veterum, ut in aliis, consuetudo nostra
nunc deflectit.

Unicum igitur atq; solidum solatium mortis est expectatio, &
ad institutum Ciceronis, totâ vitâ suâ ejusdem commentario: quod
omnibus hisce molestiis, miseriis & injuriis, quibus possim, sæpius
etiam ab illis premuntur, qui hæc ipsa potius recensere, quàm quo-
modo iisdem alleventur, ne dicam liberentur ei, occupatos se præ-
bere malunt; quod tandem, tandem inquam, se ereptû, & seculi vitiis
liberatum iri certò confidant. Neutiq; tamen hîc vitæ odium,
in Præceptore concipias, quod eorum, forte justum est, qui se neque
DEO serviisse, neq; hominibus profuisse recordantur. Tantùm non
diu vivere exoptant; quum plurimorum annorum accessionem, vel
qui stolidè fatui, nunquam labores sensere præteritos, vel qui vitiis
volutantur turpissimis, desiderant. Mortis nempe timorem nesciunt,
& vita innocens, semper migrare paratis mortem se curam reddit.
Elegantissimum est, quod de Platone relatum lego. Hic interroga-

Ant. de Grev.
Horol Princip.
lib. 2. Cap. 44.

Tusc. Quest. I.
1. p. m. 89. b. 12.

Grev. Herol.
Pr. lib. 5. cap.
54.

tus

tus à Socrate, quomodo in vitâ sese gessisset, & quomodo in morte sese esset gesturus? scito, inquit, Socrates, in juventute operam me dedisse, ut benè viverem; in senectute ut benè morerer. Quare cum & honesta vitâ fuerit, & mortem lætus expectem, nec vitâ mihi dolori est, nec mors timori erit. Beatos, quibus hæc reputare secum contigerit, ut ne mortem timeant, rectè vitam suam semper instituant: certus sum nec de honore augendo, nec de divitiis accumulandis, multò minus de innocentibus persequendis adeò laboraturos. Omnes enim suo etiam loco verum esse experiuntur aut noverint, mundum delicias nobis & voluptates gustu dare, labores & dolores ad fatietatem usq; oggerere: quod quis quinquaginta annis pertulerit, vix centum annis recenseri posse. Iste autem Senecæ verè miser judicatur, qui ipse nunquam miser fuerit.

Quæ jam breviter, temporis rationem habiturus, mentis cogitata exposui, uberius exemplis illustrarem, nisi, ut in re minus grata, nauseam me plurimis creaturum, verendum esset. Non possum tamen, quin instar omnium, denuo in memoriam tibi revocem Virum de schola & civitate nostra optimè meritum, *M. Johannem Augustinum Egenolfum*, cujus discessum, nobis præmaturum adhuc lugemus, non mediocrem dolorem excitare, persentiscim⁹. Is viginti sex annos natus 1658. scholæ Chemnizensi Rector præesse cœpit, qua de quatuor annorum spatium benè meritis, Dresdam vocatus, Conrectoris partes atq; curam in se suscepit, 30. scil. Junii 1662. quam rectè gerens sublato ad Superos celeberrimo Bohemo nostro, cujus memoriam plurimâ cum jucunditate, ut Præceptoris, ætatè recolò, 6. Dec. 1676. Crucianæ Rector est introductus. Quantas hoc tempore, triginta annis, molestias devoraverit, qui calamitatum cumulus ipsius in caput sit exoneratus, verbis utut audeam, adsequi non possum. Utinam cineres malevolorum invidiam non sentiant, nec iniquissimis, qui ex obrectatione bonorum sibi laudem aucupantur, occidendum sit illud Ovidii:

Lupus & turpes instant morientibus urfi,

& quæcumque minor nobilitate fera est.

Verbo, benè mèrendo de genere humano, benefaciendo proximè ad DEUM accedens hoc præmii est consecutus, quod omni tempore in scholis docentes retulerunt & qui nos sequentur unâ nobiscum experientur, ut minimum quos ex se natos & superstites reliquerunt, deplorare necesse habuerint, amicorum ingratitude, inimicorum persecutionem, penuriam alimentorum, casus omnis generis adversos, falsâ quibus onerantur testimonia, mille quæ animo insident, ægritudines, ut maximi demum solatii, quo miseri utantur, loco sit, quod oculos velut aquarum rivos faciant, & se in lacrymas, omnem calamitatem effusuris resolvere liceat.

Proh! quoties vox beatissimi illius senis, usu certè doctissimi, BOHEMI mihi incidit: cave tibi à Schola, Scholam fuge: omnia si præstiteris, omnia rectè feceris, forte unicum vel extremâ senectâ non ad palatum, unius nastuti egeris, damnanda omnia, nihil profeceris; Heu! miseros nos: obstupescit animus, horrent membra, nec quid aliud adjicere valeo, nisi; beati qui in Domino mortui. Beatum te, EGENOLFE, qui quod desiderasti, ex sententia impetrasti, eluctatus placidâ & beata analysi quicquid adversum erat, tandem superasti, vitâ nunc & felicitate potitus aternâ, dei cultoribus (piis Præceptoribus, Dan. 12.) promissâ. Valeat orbis, sua nunc sibi habeat, nos cœlestia, quibus nati, spectabimus.

Nunc quod pietatis nostræ est, crastinum diem, quo ante 56. annos Erfurdia hanc in lucem, fuit editus, memoriæ EGENOLFIÆ recolendæ ac celebrandæ decrevimus, atque sequentes è discipulis nostris, publicè verba facturos, prodire jussi.

Christophorus Rannetvorff / Rudelsted. Thuringus, oratione Latinâ beatissimi defuncti vitam recenset.

Joh. Georg. Schreger / Pirnens. Misn. sermone Græco mortuis honorem omnem deferendum probabit.

Martinus Dohle / Martini-Dorfensis Bohemus, Paradoxon hoc, heroico Latino metro proponet; Præceptor in miseria beatus. Tandem

Georg. Abrahamus Wolff / Saydens. Misn. auditoribus gratias persoluturus Græco carmine concludet.

Te igitur quisquis es, honoratissime & æstimatissime Lector, enixè rogatum volumus, si qua honesta studia & bonæ artes, scholis culta, non contemnenda videantur, defuncto & superstitis, docentibus pariter atque discipulis eum honorem habere & è feriis tuis, quibus forte instante jam festo Natalitiorum Domini, frui datum, tantillum temporis, quo dicentes audias, tribuere ne dedigneris, sed die Jovis: finitis sacris pomeridian. auditâ horâ secundâ, tui nobis copiam benignè facias. Id & gratissim omnes agnoscemus & si quid ullibi virium fuerit, quod officiis tibi præstandis sufficiat, prompti insumemus.

p. p. die 19. Decembris anno Virginæ partus 1688.

VOT

AK 54. (20) Joh. Augustin. Egenolf.

Z 6
170

X 2047314

PIETAS.
SUUM. IN. RECTOREM. PRONA.
CUJUS. BEATE. MORTUI.

MEMORIA

IPSI. QVONDAM. NATALI.
EX. MERITO. CELEBRANDAM.

CRUCIANA. SCHOLAE

CONSTITUIT.
BONOS. QVOSQVE.
ARBITROS.

EXOPTAT. ROGAT.
AUTHORE.

M. JOH. VALENT. MERBITZKI
CONRECTORE.

DRESDÆ,
LITERIS JOHANNIS RIEDELI.

